

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

ziam, ostendit: Toranio autem, praeter communem casum ciuitatis, nihil timendum: se quidem pro virili curaturum omnia, quae ad salutem eius ac liberos pertinere videbuntur. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Commemorabam] Aliis, an sibi? sibi potius, et cogitatione, non voce. quasi dixerit: memoria repute-
 bant, in memoriam redigebam.

Solosque nos vidisse] Gratiae causa cum vno Toranio communicat hanc laudem. sed, quantum esset in ciuili bello mali, non soli viderant Cicero et Toranius, sed et Sulpicius, et Marcellus, et Varro. lib. 4. epist. 2. et 7. lib. 9. epist. 6.

Spe pacis exclusa] Quorundam Pompeianorum culpa, qui, Pompeio duce freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. lib. 4. epist. 1. lib. 6. epist. 6. et lib. 7. epist. 3. et lib. 9. epist. 6.

Seruitutem] Ob contumaciam et arrogantiam Pompeianorum, iisdem tamen crudelitatem tribuit lib. 4. epist. 9. 14. et lib. 9. epist. 6. et Caelius lib. 3. epist. ult. et lib. 11. ad Attic. epist. 6.

Fortes illi viri et sapientes] Cum ironia dictum. Fortes, qui me timidum vocarent: sapientes, qui de belli euentu nihil timendum iudicarent.

Domitii et Lentuli] L. Domitius Ahenobarbus, et L. Lentulus consul.

Timidum] Cum pacem quauis tuta conditione cupiebam. lib. 5.

epist. ult. epist. 4. et 6. huius libri.

Cum omnium rerum mors sit extremum] Horatius lib. 1. epist. 16. v. 79.

— *Mors ultima linea rerum est.*

Hoc significat, mala omnia morte terminari. epist. 4. *Cum impendat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit,*

Salutem] Ipsius reipublicae, cuius antea dignitas, bello autem ciuili salus etiam concidit. significat illud tempus, cum accipiendas, quas tulit Caesar, conditiones censuit, ne reipublicae salus, quando iam dignitas amissa erat, in discrimen adduceretur.

Voluisse] Quod consequi non potuit, ob nonnullorum pugnandi cupiditatem. epist. 6. *Vita est auctoritas mea, non tam a Pompeio, etc.*

Sententia et voluntate] Vtramque coniungit et epist. 13.

Praeter vniuersae reipublicae interitum] Praeter communem casum ciuitatis, dixit in epistola proxima.

Praesto semper futurum] Tale illud epist. 5. *A me vero tibi omnia liberisque tuis paratissima esse, confidas velim.*

EPISTOLAE XXII.

ARGVMENTVM.

Victo in Thessalia Pompeio, boni ciues multi ab armis discesserunt: quorum alii, spe veniae a Caesare impetrandae, in Italiam reuersi sunt, et Cicero, et hic Domitius; alii eodem consilio in Asiam ierunt, aut in Achaia

Achaia remanserunt, ituri obuiam Caesari ex Alexandrino bello redeunti: alii vero, vel quia victori supplicare nollent, vel quod ei se committere non audent, in opida libera, bello vacua, secesserunt, ut M. Marcellus, qui Rhodi vel Myrilenis aliquandiu maluit vivere, quam Romae. Sed in Italiam primi Cicero et D. Laelius venere: unde illud lib. II. ad Attic. epist. 7. edixit ita, ut me exciperet, et Laelium nominatim. Domitii senior aduentus fuit: quod et ex hac epistola, et ex ea ad Atticum scripta, quam appellavi proxime, cognoscitur. Excusat igitur Cicero officium suum, quia litteras ad eum antea non miserit: oratque et obtestatur, ut, cum reipublicae iam satisfecerit, incolumitati suae consulat, amicorumque, quos belli casus eripuit, desiderium aequo animo, aut forti saltem ferat. In extremo pollicetur, se omnia facturum studiosissime, quae saluti illius et dignitati conducere arbitrabitur. Caesare III. et Lepido coss.

EXPLANATIO.

D*eterruit*] Remouit. sic lib. 5. epist. 2. *Vt eum ab illa iniuria deterrent.*

Ipsa egens rebus omnibus] Eadem sententia lib. 4. epist. 13. et alibi.

Plus conatum esse] Plus conatus esset muneris suscipere reipublicae causa, quam praestare posset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renouare voluisset. quod non fecit, desperata victoria.

Quam quantum praestare posset] Post Pharsalicum proelium ideo nihil muneris suscipere voluisti, quod optime intelligeres, id praestari a te non posse, amissa prorsus vincendi spe.

Quae daretur] Licet non optima.

Sed cum consilii tui] Argumentum huiusmodi est: si mansisses in bello, ut mansere multi; tamen hortarer te, ut aequo animo fortunam tuam ferres, eaque viuendi conditione, quae daretur, vtereris: cum vero statim, victo in Thessalia Pompeio, belli finem tibi statueris eum, quem ipsa fortuna terminum

nostrarum contentionum esse voluisset; multo magis hortari te debeo, ne moerori te totum dedas, sed incolumitati tuae consulas.

Voluisset] Quasi suam tota de re voluntatem Pharsalico bello fortuna declarasset.

Parenti] Matri, non patri. infra.

Qui ex te pendet] Quorum incolumitas in tua sita est.

Iis hoc tempore vtare] Id enim tradidere sapientissimi viri, culpa qui careat, ei magnopere dolendum non esse.

Eorum desiderium] Quo Domitium angere, videtur Cicero auduisse.

Si non aequo] Non dolere enim non possumus: sed dolorem premere et vincere fortitudine possumus.

Ego, quid possim, nescio] Epist. I. *Qui sim hoc tempore, intelligo.*

Quae tibi utilia esse arbitror] Explicat diuersis verbis eandem sententiam, quam paullo ante, cum dixit, *quaecumque saluti dignitatiue tuae conducere arbitror.*